

exempla, qui agnito stupore suo ad se redierunt, manifestant: ita in cæteris impiis, etiam flagitiosissimis, eo facilius & pro animorum indole facillime motus exurgere posse, quibus ad periculum, ex profligata impietate ipsis imminens, ad preces invitentur, quorum aliqui in proposito persistant, alii ad antiquum relabantur, ne dubitari quidem me iudice potest.

VI. In aliis vero impiis pro diversitate status sui vitæque antea actæ vel facilius vel difficilius harum precum memoria & occasio exurgere potest. Est, qui in quadam animi sui securitate totam vitam suam consumit & dum à gravioribus sibi flagitiis temperat, cætera, quæ ad Christianæ vitæ rigorem, ut cum timore & tremore salutem suam operetur, pertinent, parum pensi habet, ratus ea à Christiano non requiri, dummodo honeste vivat, neminemque aperte lædat, si templa frequentet, obductæ pileo facie oret, proximum in via salutet, in conversatione civilitatem, in adversa ipsius fortuna doloris & compassionis societatem testetur, cætera accuratius vitæ suæ scrutinium necessarium haud esse judicat & si scienter volenterque proximum, dummodo is haud animadvertat, læserit aut circumvenerit, pro peccato, ex statu gratiæ ipsum dimovente, non reputat. Credo, communem hunc esse bonorum, ceu vocamus, Christianorum ordinem, quos tamen extra statum gratiæ & fidei justificantis atque per bona opera operosæ vivere, non puto à quoquam facile in dubium vocari, qui non externa tantum Christianæ vitæ opera, sed animum DEO soli deditum & ab omni hypocrisi alienum à vero Christiano requiri ex sacrarum literarum dictato fuerit persuasus. Quos tamen & preces pro peccatorum suorum remissione vel in oratione Dominica quotidie fundere & suis temporibus peccata etiam sua sacerdoti confiteri, nemini ignotum esse potest. Sunt alii, qui dum non honestæ tantum, sed vere religiosæ piæque vitæ dediti fuerunt, quique ut omnes actiones suas ad conscientiam, ex Divino verbo informatam, regulam dirigerent, summam in timore DEI operam dederunt, tamen occasione ipsis oblata in carnis voluptates profuse dilabuntur, iisdemque inescati longo tempore perseverant, aut dum paupertate pressi divitiarum occultis fraudibus acquirendarum occasionem nanciscuntur, dulcedine earum abrepti conscientiam suam onerant, pristinae tamen pietatis memores sæpius ingemiscunt, nonnunquam etiam DEUM precantur, ut
veram